# Vituperium canum. XXVII.

Non ignoro Aud: RR. a plerisque mortalium canes in pretio pro reliquis animalibus semper habitos, et etiam nunc haberi, ita ut nullus ferè inveniri possit, qui non unum alterumve alat canem, Etenim omnes omnium hominum status considerate, omnes urbium plateas, omnes vicos oberrate, montium superate iuga rupesque, agricolarum tecta, casasque lustrate, ubique obvium canem habebitis, vestra vestigia insequi, vos persequi sentietis, ipsa mendicabula, quae sine re, sine lare, ipsa tamen aspicite, comitari ea catellos quosdam conspicietis; unde summe mirarer id ita ab hominibus fieri, nisi scirem nihil ferè in orbe terrarum, in quo non hominum mentes delirarent. Etenim quid virtute pulchrius? eam oderunt tamen multi, quid flagitijs magis noxium? quid turpius? et hoc tamen plurimi amant, amplectuntur, quid iucundius vita hac, ipsa vita? hanc tamen nonnulli temere, imo scelestè prostituunt, profundant, et quod detestandum magis, sibiipsis multi per vim eripiunt; quo fit ut minus aegre feram eos etiam hac in re miserè circumduci errareque, quis .n. errare non dicat? ut qui ea amore prosequuntur (canes.) intelligite.